

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0402

0400

0406

0396

vivere sine igne non possunt, licet Plinius lib. 6. dicat, quod
in parte orientali quibusdam gentibus usus ignis fuerit ignotus
usque ad tempus Ptolomaei regis Aegypti, et tunc primum
ignem habuerunt. Credit tamen dominus Antonius, illos non
fuisse homines, quia tenet, hominem non posse vivere sine
usu ignis, ut patet P. 1. Tit. 1. C. 5. §. 1.

Quarto modo et propriissime desertum dicitur terrae spa-
tium, ubi nihil eorum crescit, quibus homines et bestiae nu-
triuntur, nec arbores, nec gramina, et ubi nec homines nec
bestiae nec aves vivere possunt, tum propter defectum aqua-
rum, tum propter solis intemperatum ardorem, tum propter
terrae sterilitatem, et breviter propter defectum omnium ad
vitae animalis sustentationem pertinentium. Et tale desertum
est de Gazara ad montem Synai, non quidem in omni parte,
sed pro majori parte. Tale desertum non reperitur in Ale-
mannia nec in Francia nec in Italia, quamvis deserta, pri-
mo, secundo et tertio modo dicta, ibi reperiantur.

Defectus et miseriae deserti illius magni notificantur mul-
tipliciter per scripturas sacras. Unde Deuteron. VIII. dicitur:
Dominus ductor tuus fuit in solitudine magna et terribili, in
qua erat serpens flatu adurens et scorpio, ac dipsas et nullae
omnino aquae. Et Deuter. 32. vocatur terra deserta locus
horroris et vasta solitudo. Et Esaiae 21. dicitur terra horri-
bilis. Et (b) filii Israel murmurantes, ut habetur Num. 20,
dixerunt: Quare nos ascendere fecisti de Aegypto et addu-
xisti in locum istum pessimum, qui seri non potest nec
sicum gignit nec vineas nec malogranata, insuper et aquam
non habet ad bibendum. De eorum murmure habetur Exodi
XVI. et Num. XI. Ex quibus defectus deserti patet. Sed
Jeremias quasi omnes defectus deserti complectitur Jerem. II.
ingratitudinem objiciens Judaeis, dicens: Vani, id est, ingrati,
facti sunt Judaci et non dixerunt, ubi est Deus, qui ascen-
dere nos fecit de terra Aegypti, qui transduxit nos per de-
sertum, per terram inhabitabilem et inviam, per terram sitis
et imaginem mortis, per terram, in qua non ambulavit homo
neque habitavit homo, nec incolavit eam filius hominis. Haec
ibi. Et Josuae V. latissima et longissima nominatur solitudo.
Insuper Deuteron. 1. dicitur.: Transivimus per erenum

Ende

Anfang